



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

X. Arsenius Hortensis Episcopus in Galliam mittitur cum amplissima potestate. Hunc Adventius Episcopus Metensis laudat quòd manus suas excusserit ab omni munere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

tas, ut Episcoporum per provincias illas constitutorum necessitatibus vice Romani Pontificis subveniret, eorum causas judicaret, Concilia generalia celebraret, denique ut ad eum referretur de omnibus causis quæ ubique emergerent, omnium verò provinciarum Conciliorum decreta ad eum mitterentur.

VIII. His mandatis instructus Drogo cum rediisset in Galliam, passus contradictionem est ab Episcopis ægrè ferentibus eam illi datam esse potestatem quæ omnium Metropolitanorum & Episcoporum auctoritatem pessumdaret. Itaque licet præfederit paulò post in Concilio habito ad Theodonis villam, in loco qui dicebatur *Judicium*, is tamen honor ei tributus non est ob vices apostolicæ sedis, sed ob nobilitatem ejus. Nam & in titulo ejusdem Concilij scriptum est Drogonem ei præfedisse *consensu eorundem Regum*, id est, Lotharij, Ludovici, & Karoli. Præterea conatus istos Drogonis frustra fuisse colligitur ex canone XI. Concilij Vernefis & ex epistola XLIV. Hincmari cap. xxx. Sed de toto isto negotio opus non est nos plura dicere, cum illustrissimus Archiepiscopus illud accuratè discussit in hoc opere.

*Vid. suprà lib. 4. cap. 19. 204.*

IX. Venerunt postea legationes apostolicæ sedis in consuetudinem, non quidem commissa per longum tempus, sed secundum varias quæ emergebant occasiones. Anno DCCCLXIII. à Nicolao primo Papa missi sunt, ut scribit auctor annalium Metensium, *Hagano & Rodoldus apostolicæ sedis Legati in Galliam ad discutiendam causam Lotharij Regis & Vvaldradæ. Qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis fovissent iniquitatem quam æquitatem, & immensis ditati opibus, Romam regressi sunt.* Agit etiam de his auctor annalium Bertinianorum, qui Legatos illos fuisse ait Raduoldum Portuensem Episcopum & Ioannem Ficocensem; adnotat autem illos muneribus corruptos, *epistolas Domini Apostolici occultantes, nihil de his quæ sibi commendata fuerant egisse; ut autem aliquid viderentur egisse, Guntharium Colonensem Archiepiscopum & Theutgaudum Treverensem Romam ire jussisse.* Ea de causa Rodoldus depositus est anno sequenti in Romana synodo, ut docent ejusdem Nicolai literæ.

*Vid. Tom. ad Hincmari Regium.*

*Vid. 1. epist. 10.*

*Annal. Bertin. Tom. ad ann. 1043. 104.*

X. Anno DCCCLXV. idem Nicolaus pro eadem causa misit in Galliam Arsenium Hortensem Episcopum & Consiliarium suum. *Quòd perveniens, inquit auctor annalium Metensium, tanta auctoritate usus est & potestate ac si idem summus Præsul advenisset. Hic rem strenuè gessit, neque se frangi sinens*

munerum oblatione neque favore hominum. Testatur istud Adventius Episcopus Metensis ad Papam Nicolaum scribens, ac deplorans quòd huic Legato similis non fuerat Rodoldus. Hæc sunt ejus verba: *Arsenium reverentissimum ac sanctissimum Episcopum Apocrisarium atque fidelissimum Consiliarium à vestro sancto latere Legatum excepimus, & quasi angelum Dei gratanter atque inhiante amplecti fuimus, ac pro parte desiderabilis visionis vestrae illo uti decrevimus. Exiit enim nobis ex candelabro pontificatus vestri lucerna ardens & lucens, illumque in divinis cultibus atque necessariis Ecclesiæ negotiis probum cooperatorem ac ferventissimum vestrae legationis executorem esse gavisi sumus. Excussit enim manus suas ab omni munere, & ut de sacro vestri pectoris fonte potaverat, nobis omnibus æquitatis & justitiæ exempla propinavit.* In hoc epistolæ Adventij fragmento scripti executorem, tamen etiam editiones habeant *excusatorem*, primùm ut sequeremur & sensum epistolæ & admonitionem illustrissimi Cardinalis Baronij, qui *excusatorem* reposuit in margine, & quia sciebamus in vetustissimo codice monasterij Moysiaccensis, in quo continentur leges Visigothorum, vulgò scribi *excusationem* pro eo quod editiones habent *executionem*. Vnde colligitur certam esse emendationem illam.

*Sic in epistola Adriani I. quæ edita est infra cap. 46. 57.*

XI. Sed his quæ ait Adventius in laudem Arsenij, nempe illum excussisse manus suas ab omni munere, repugnare videretur auctor annalium Fuldensium, qui docet illum magnificis muneribus honoratum fuisse à Ludovico Rege Germaniæ & à fratre ejus Karolo Calvo. *Arsenius Episcopus, inquit, Nicolai Papæ urbis Romanæ Legatus ob pacem & concordiam inter Hludovicum & Karolum fratrem ejus necnon Hlotharium nepotem eorum venerandam atque constituendam missus est in Franciam. Qui apud villam regiam Franconofurt à Hludovico Rege honorificè susceptus, & muneribus magnificis honoratus, conditòque inter eos Placito de supradicta conventionè apud Agrippinam Coloniæ habituro, ad Karolum Regem in Galliam pergit. Illic quoque mirificè à Rege susceptus, regalibusque donis sublimatus, propter conditum Placitum Agrippinam, ut diximus, Coloniæ venit.* Ista, inquam, convellere videntur auctoritatem eorum quæ in commendationem Arsenij scripsit Adventius; nisi si discrimen ponatur inter munera Principum & privatorum hominum, ut illa accipere liceat tanquam è publico, ista attingere fas non sit, ne munerum acceptio præjudicet adversus veritatem & justitiam.

*Annal. Tvald. ad an. 1043.*

\*\*

R.